

10. *Pro admissione externorum.*

Mos est in Conciliis approbatus ut præter synodales alii quoque viri, quibus in Concilio sedere nec jure nec consuetudine competit, ad congregationes generales et sessiones admittantur, si petentibus illis Patres Concilii talem honorem opportune deferendum censeant. Cum itaque sint quidam reverendi viri qui in congregationem (sessionem) admitti petant. Nos N.N., hujus Concilii promotores, suppliciter eorum nomine rogamus ut decidere dignetur Excellentia Tua, an sint admittendi.

III

FORMULÆ PRECUM.

*Preces ante et post congregationem.*

I. — ANTE ACTIONEM.

ADSUMUS.

Adsumus, Domine Sancte Spiritus, adsumus, peccati quidem immanitate detenti, sed in nomine tuo specialiter aggregati: veni ad nos, adesto nobis, dignare illabi cordibus nostris; doce nos, quid agamus; quo gradiamur, ostende; quid efficiamus, operare. Esto solus et suggestor et effector judiciorum nostrorum, qui solus cum Deo Patre et Ejus Filio nomen possides gloriosum: non nos patiaris perturbatores esse justitiæ, qui summe diligis æquitatem; ut sinistram nos non ignorantiae trahat, non favor inflectat; non acceptio muneris vel personæ corumpat: sed junge nos Tibi efficaciter solius tuæ gratiæ dono, ut simus in Te unum, et in nullo deviemus a vero; quatenus nomine tuo collecti, sic in cunctis teneamus cum moderamine pietatis justitiam, ut hic a Te in nullo dissen-